

DE PRAETORIO PIGNORE ET UT IN ACTIONIBUS ETIAM  
DEBITORUM MISSIO PRAETORII PIGNORIS PROCEDAT.

8.22.1

*Imp. Iustinianus A. Menae pp.*

Si praetorium pignus quicumque iudices dandum alicui perspexerint, non solum super rebus mobilibus et immobilibus et se moventibus, sed etiam super actionibus quae debitori competunt praecipimus hoc eis licere decernere.

*D. k. April. Constantinopoli Decio vc. cons.*

[a. 529]

8.22.2

*Idem A. Iuliano pp.*

Veteris iuris dubitationem decidentes ad duplum genus hypothecarum respeximus, unum quidem, quod ex conventionibus et pactis hominum nascitur, aliud, quod a iudicibus datur et praetorium nuncupatur.

1 ¶ Et cum invenimus in conventionalibus pignoribus vel hypothecis non solum tenentem creditorem adiuvari, sed etiam si ab eo cadat, sive sua culpa sive non sive fortuito casu, humanius esse perspeximus et in praetorio pignore dare recuperationem creditori, quocumque modo possessionem amittat, sive culpa sua sive non sive fortuito casu.

2 ¶ Licet enim debuerat incumbere suo pignori, ne aliquam patiatur iacturam, tamen, ne quid amarum in creditoribus consequatur, benignius causam interpretamur et ei recuperationem donamus.

*D. k. Aug. Constantinopoli Lampadio et Oreste vv. cc. conss. [a. 530]*